Ernestus Gottlob Bose ... Panegyrin medicam ... indicit et de hepate rupto disserit / [Ernst Gottlob Bose].

Contributors

Bose, Ernst Gottlob, 1723-1788.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

Lipsiae : Ex Officina Jacobaeeria, 1776]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/y75d79zd

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

39

ORDINIS MEDICORVM
IN VNIVERSITATE LIPSICA
H. T.

PROCANCELLARIVS
D. ERNESTVS GOTTLOB BOSE

ANAT. ET CHIRVRG. P. P. O. FACVLT. MED. ADSESSOR
ET APVD LIPSICOS POLIATER

PANEGYRIN MEDICAM
AD DIEM II. AVGVSTI MDCCLXXVI.
INDICIT
ET
DE HEPATE RVPTO
DISSERIT.

Quum ſapientiſſimus naturae auctor ſingulis corporis noſtri partibus, etiam minimis, eas dederit dotes, quibus idoneae ad ſuas obeundas functiones reddantur: talem ſimul conceſſit virtutem, quae ex cohaeſione partium et varii generis fluidorum influxu prouenit, vt hac integra vbiuis communis ſit ad vnum finem conſequendum conſpiratio. Si vero illa vis, quam tonum appellant, in variis licet partibus locisque ex propria indole aetatis, ſexus aliarumque conditionum differens habeatur, ita fuerit labefactata, vt decenti amplius modo nequeat agere, tunc ἀτονία dicitur fieri. Hic morboſus, quem in vtero declarauit Cl. Candidatus, ſtatus ad alias aeque partes refertur, cuius quidem non infrequentia occurrunt, in facienda medicina occupatis, exempla. Nec hepati quidem ille denegari poterit, quod ex adeo multa vaſorum diuerſi generis propagine conſtructum eſt, vt ſumma anatomicorum induſtria interiorem eius fabricam ſufficienter extricare nondum potuerit, tam variis etiam membranis connectentibus et inueſtientibus retinetur, vt in his, quae per naturam ineſt, vis atque fortitudo varia exiſtat. Hanc intemperiem perfractam intimae cohaeſionis vim in ſolido appellat BIANCHI [a]), variam cohaeſionis debilitatem, variam affectionis cauſſam eſſe adſerens. Inde vero laxitas quaedam enaſcitur iam dictarum partium, tum vaſorum, parenchyma, vt veteres vocabant, interius conſtituentium, tum etiam ligamentorum, exteriorem ambitum firmantium. Haec autem praeter naturam dilatata egregiam herniis hepaticis ſuggerunt opportunitatem, quibus tum, quae hepati ſuppoſita ſunt viſcera, moleſtas et noxias perferre coguntur compreſſiones, tum etiam viſceris ad ſuperiora, incongruo modo appulſus et ſitus peruerſus producitur. Illa e contrario vaſa, facile, vt omnibus ſolenne eſt, ob quieſcentes, aut intus contentos, minus accurate motos

 ſuccos

a) Hiſt. hepatic. P. II. Cap. II. §. III.

ſuccos, obſtructionibus vexantur, hinc ſcirrhos aut induationes perferunt, ac tandem omnia inde prouenientia morborum genera experiuntur, inflammationis nempe vel aliquando abſceſſus. Nec non ſolet ad hunc locum vix ſatis dilucidandus fieri acceſſus, ex aliis nimirum locis huc quaſi deriuatus, vt in iis obſeruamus, quibus caput laeſum eſſe deprehenditur. Saepiſſime tamen, recte intuentibus patet, harum cauſſarum, morbos inducentium, actionem non ſubitaneo nocere impetu, ſed lento tantum modo inuadere, vt primordia vix ſignis ſufficientibus, ſed incrementum tantum earum in perturbatis actionibus dignoſcatur. Quare miſeros ſenſim necare ſolent, artis tamen efficaciam ſic refpuunt, vt ad morbum tollendum vel leniendum, vel, ſi aliter fieri nequeat, trahendum, ſpes amplius non ſuperſit. Relinquimus autem rite trutinandam horum morborum naturam iis, quibus curae cordique eſt, pro eo, quod medico incumbit, officio, ſuccurrendi aegris, omne in efficaciori medicina ſtudium. Nos enim nunc tantum ſingularem, in cauſſa graui et violenta actionem rimabimur, quae celeriter agit et fortiter, quae internae ſubſtantiae hepatis citam aliquam producit deſtructionem, quae omnem ſere medicationem adhibendam excludit, et inſuperabilis mortis cauſſa exiſtit. Non negamus quidem effectus cauſſae agentis ſemper cum eius comparari debere vehemen ia, eaque propter gradus etiam diuerſos et inde deriuandam eſſe medicationis facultatem aut ἀδυναμίαν, hinc non omn s hepatis laeſiones ad eas pertinere, quae lethales ſint: ſed ſimul diffiteri non poſſumus, omnem morbum, qui ſubſtantiam illius viſceris aggreditur, multum difficultatis ſecum habere. Leuiores ſcilicet lateris dextri contuſiones, ſanguinis ſtaſin et hepatitidem producere valent, in apoſtema, ſi non diſcutiatur, abituram, rarius tamen, vel ex leui eiusmodi cauſſa, ob ſacile cedentem ventris mollitiem, vel ex interno malo ruptura eueniet, ſi vnquam vera eiusmodi obſeruata fuerit.

Per

Per rupturam autem, quam nominamus, non vaſorum, quae diximus multa eſſe, ſanguiferorum anaſtomoſin aut diaereſin intelligimus: haec quidem, niſi magnos vaſorum truncos diſruptos eſſe velimus, haemorrhagiam facient, at ſponte compeſcendam, ſed ipſius ſubſtantiae dilacerationem volumus, quae vtique impetuoſam aliquam cauſſam praegreſſam praeſupponit. MORGAGNIVS [b]) varias adducit obſeruationes, quibus ob effuſiones ſanguinis ex vaſis epiploicis aliisque ruptis ſubito mortem conſecutam fuiſſe conſtitit, nullibi tamen nos legiſſe meminimus, vaſa hepatis ſola rupta inuenta fuiſſe, ſine eo, quod ſubſtantia eius ſimul fuerit deſtructionem paſſa. Minime enim huc pertinere videtur SENNERTI ex DODONAEO obſeruatio [c]), qui in melancholico, inedia pene enecato hepar nigricans et ſphacelo tactum reperit, tunc enim integra erat, et ſub mortis demum acceſſu per corruptos ſuccos deprauata iecinoris maſſa: nec SCHRECKII [d]) exemplum, vbi pariter in homine, omni atrae bilis cruciatu conquaſſato, vehementiſſimisque conuulſiuis motibus ita agitato, vt violentas ſibi inferret manus, hepar cum vicinis partibus arctiſſime coalitum et putredinoſa corruptione adfectum reperiebatur, vt in auerſa eius facie prope veſiculae felleae adhaeſionem duo vulnera conſpicerentur ſeu fiſſurae. Is enim ita vulnerum naturam deſcribit, vt *a cauſtico quaſi corroſa* viſa ſint, quod quidem, ni fallimur longi morbi antecedentis et inde dependentis cacochymiae ſummae indicia praebet. Siquidem non infrequens ſit, pertinaces chronicos morbos interna ſaepe viſcera inuadere, obſtruere atque, tandem tota virtute vitali deficiente, corrumpere.

b) De ſedib. et cauſſ. morbor. Lib. IV. epiſt. LIV. art. 14. p. 129. ed. Lugd. Batav.

c) Pract. Medic. Lib. III. P. VI. Sect. I. cap. 8.

d) Commerc. litterar. Norimb. Ao. 1740. p. 162.

Quae, quum ita sint, nos ad mutationes eas tantum respiciamus, quae ex applicata quadam iniuria externa consequuntur, et hepar, antea sanum et integrum subitaneo periculo destruunt. Non possumus tamen non, quin eorum etiam periculorum varios effectus esse affirmemus, qui nimirum vel vicinas hepati partes simul cum externis afficiant, et simili ratione vtrasque laedant, vel, quod magis mirum est, intactis quasi externis et vicinis locis solum hoc viscus aggrediantur. Etenim noxa, integro adhuc corpori illata prius externam afficere cogeretur superficiem, quam internam, vt ex illa demum fracti iam impetus videatur penetrare violentia. Etsi quoque fulminis ea deprehenditur sequela, quae interius corpus lacessat, nec vestigia quidem externa relinquat, longe alia tamen subtilissimae materiae virtus est, quam quae possit cum virtute, crassioris corporis laedentis comparari. Nec mollitiem externorum integumentorum cutaneorum accusare licet, quippe quae in omni pene abdominis ambitu eaedem sint, quum pariter ex multis constet obseruationibus, percusso abdomine, lienem tamen citius ac hepar findi, vis externa quamuis toti anterius abdomini fuerit applicata. Cuius quidem euentus copiosae sunt animaduersiones, quarum farraginem MORGAGNIVS e) adducit. Ex multis vnicum liceat ex HOFFMANNO f) adnotare, viri, inuerso rastro percussi, in quo lien, ad infimas costas spurias elongatus, discissus fuerat, vt recte in liene frequentiores euenire rupturas PLATNERVS g) iudicauerit. Deinde, si contigerit etiam, vt hepar ex iis conditionibus rumpatur, tunc etiam in euentu diuersitas inuenitur. Pleraque ex eiusmodi vulneribus breui vitam adimunt, aliqua tamen lentiori gradu mortem producunt, vel, si ictus aut nocens caussa mitior fuerit, lenta morte tandem aegrum consumunt.

e) Lib. cit.

f) Med. ration. System. T. III. Sect. I. cap. VII. §. XXXV.

g) Institt. Chirurg. §. 716.

ſumunt [h]). Quam ſcilicet animaduerſionem in foro quoque attendendam eſſe arbitramur, ſiquidem is mihi videatur aeque alterum occidiſſe, qui lentae et neceſſariae mortis auctor exiſtit ac is, qui cito interfecerit.

Perpendamus autem varia exempla, haec momenta curatius comprobantia, ex quibus illa quae certiora et tutiora inuenimus [i]) nunc tantum recenſebimus, atque nouo quodam, a nobis obſeruato, confirmabimus. Recenſet nimirum BIANCHI caſum [k]) quem a ROSINO LENTILIO acceperat, ruſtici ebrii, in via mortui inuenti, cuius abdomen diſſectum, ſanguine effuſo plenum, hepatis vero lobus ſuperior, quo ventriculum contegit, in duas partes horizontaliter quaſi cultro diuiſus deprehendebatur. Rupta ſimul erat vena portarum et mortem protinus induxerat. Turgebat autem in illo viro ventriculus adeo, vt propter nimiam commeſtorum farciminum copiam vix digito potuerit comprimi, vnde cauſſam diſrupti iecinoris BIANCHI deriuat GARENGEOT [l]) porro duo exempla habet eorum, qui a laeſo hepate breui poſt tempore perierunt, alterum quidem viri, cuius abdomen currus peruadebat valde onuſtus, nullo contuſionis aut excoriationis externae ſigno praeſente, renem dextrum et magnum hepatis lobum habebat plane diſruptum; hic vero ſecunda iam poſt acceptam plagam hora diem obierat: alterum feminae, quae eadem pene calamitate a curru laeſa, magnaque ſanguinis quantitate in ventrem effuſa, ſubito peribat, quod minor hepatis lobus ita eſſet abruptus, vt ſiniſtrum hypochondrium ad lienem vſque occuparet. Idemque vidimus nosmet ipſi triſti illo, quo tota Saxonia opprimebatur, belli tempore. Miles enim, rota currus, globulis plum-

h) PLATNERVS loc. cit. §. 717.

i) Nolumus quidem aliis fidem denegare, et MORGAGNIVM l. c. qui plurium mentionem fecit, adire conſulimus, ſed haec ad corroborandam ſententiam fuſficere confidimus.

k) Hiſt. hepat. l. c. §. VI.

l) Vid. Memoires de l'Acad. Roy. de Chirurgie To. II. p. 117. Ed. Paris in 4.

plumbeis puluereque pyrio grauissimi, per superiorem ventris partem traiecta, succubuit ocyssime, hepate per medium fere fisso inuento. Quo referenda quoque esse videtur LANZONI obseruatio, quam MORGAGNIVS adducit [m]) qui pugno ad iecur violenter percussus, a ruptura vasorum in hepate, mox ab ictu in terram prolapsus, misere dicitur exspirasse. Idem praeter ea MORGAGNIVS pueri nouennis meminit, qui sub currum cadens, rota super ventrem acta, nullum in ventre dolorem sentiebat, mox autem, frigentibus extremis, cum inquietudine corporis et motibus conuulsiuis, altera hora post decessit, in cuius cadauere iecinoris pars dextra, qua costas spectat ad trium vnciarum Bononiensium tractum alte erat lacerata. Nec non a SCHAARSCHMIDTIO [n]) adnotatum legimus exemplum hominis, cuius latus dextrum equus ita valide arbori appresserat, vt contusio et sugillatio ad quintam sextamque costam sat magna conspiceretur, hepar vero medio plene fissum inueniretur, vt cito inde enecaretur. IDEM [o]) aliud rustici hominis, ab arbore cadente percussi, in cuius hypochondrio dextro praeter magnam ventris intumescentiam atque duritiem, a sanguinis effusione prouenientem pariter animaduertebatur sugillatio, costae septimae fractura, atque hepatis fissura, per omnem mediam substantiam transiens, itidem breui letalis. Addimus tandem casum, studiose expositum, quem debemus STRVVIO [p]) pueri septennis, qui plaustro adhaerens, eius vero celeriore motu resolutus, supinus cadit, insequentis currus equis implicitus, quibus tamen mox ereptus, sine sensu protinus extinguitur. Nec hic quidem externae laesionis indicium occurrebat, pauca tantum stigmata sugillata in regione cartilaginis ensiformis detegebantur.

m) Lib. cit. p. 130.

n) *Medicinischer und chirurgischer berlinischer wöchentlicher Nachrichten erster Jahrgang 1738. p. 38. Berlin 1742.*

o) Loc. cit. p. 75.

p) Commerc. litter. Nor. 1740. p 411. Repetitam eandem historiam accepimus a SCHAARSCHMIDT. Lib. cit. *dritter Jahrgang*. p. 325.

bantur. In diſſecto corpore praeter luxationem vertebrae ſecundae, quae lethalitatis cauſſa ineuitabilis eſt habenda, *hepatis viſcus ſe obtulit ruptum in dextro lobo maiore, ſponte ſimul ſeparata notabili portione inſtar nucis iuglandis, quae conquaſſata et contrita penitus erat.*

Haec ſane documenta periculum, cum viſceris egregii vulnere coniunctum, ſatis docent, nec mirabitur aliquis, qui fiat, vt breui temporis ſpatio ex ſanguinis effuſi in viis ſuis defectu mors praeceps eueniat; mirabitur autem vtique, ſi non obſtante eiusmodi enormi laeſione vitam per aliquot dies ſuperfuiſſe intelligat et quidem ſine ſymptomatibus, quae graue vulnus factum eſſe, moueant ſuſpicionem. Occurrit tamen mihi obſeruatio, quam candide referam. En! Adultus homo, triginta et vltra annorum, tempore nocturno, erat autem aeſtas, ex caupona rediens, crapulae plenus, nec ſatis attentus, in foſſam, ſedecim et vltra pedes profundum, decidit in terram, mollem et magis paludoſam. Is, dum non animaduertitur et per aliquot horas ibidem ſine auxilio commorari cogitur, matutino demum tempore clamore ſuo, eoque obtuſo, vicinos praetereuntes allicit, qui eum ita iuuant, vt viuum, dolentem et lugentem extrahant, ſeruent et domum abducant. Medicus hic aduocatus nullam, adhibita licet ſolerti diſquiſitione externi corporis noxam ſe detexiſſe confirmat, larga tamen venaeſectione, enematibus atque abdomini ſuperhabitis fomentis miſero ſuccurrit, tenuemque ipſi diaetam praeſcribit. Haec omnia ea quoque cum felicitate ſuſcipiuntur, vt mox ad ſe redeat aeger, ſubinde tamen ſopore afficiatur, reſiciatur iterum, excitatus quaſi ex profundo ſomno loquatur, mente ſibi conſtet, ad quaeſtiones propoſitas apte reſpondeat, cibum ſumat, de dolore nullo conqueratur, pulſum etiam viuidiorem ac pleniorem recipiat, vſque dum, ante nec animaduerſo ventris tumore aut duritie, nec externo quodam liuore conſpicuo *quarto demum die*, ſubito, tranquille tamen vita defungeretur. Quo facto, breuiſſimo interceden-

te tempore, abdomen cepit intumescere et pene durum reddi. Altero post mortem die, cadaueris inspiciendi caussa, accersitus, inueni ventrem admodum tumentem, nec non dextri hypochondrii liuorem, qui, quum a maculis, quas a stagnante cruore post mortem hinc inde dispersas obseruamus, differret, suspicionem mouebat, in subiectis partibus laesionem esse debere. Prouida ea propter ad hanc rem inquirendam facta abdominis dissectione, mox sub peritonaeo, supra et infra omentum, immo in eius laminarum interstitiis, quae per omnem anteriorem ventris superficiem erant expansae, magna detegitur cruoris, extra vasa missi, quantitas, maximam quidem partem fluidi, ex parte tamen coagulati et grumosi. Is autem praecipue sanguis ex coagulatis constabat moleculis, qui inter vtramque omenti laminam continebatur, et qui per aperturam, quam foramen naturale WINSLOVIVS appellat, ingressus esse videbatur. Diffusa quoque sub omento sanguinis pars, vtut copiosior, intra gyros tameu intestinorum non penetrauerat, sed pene omnis in peluim collecta fuerat. Effluente itaque teneriore sanguine et remoto coagulo, in omni intestinorum tractu nec praeternaturalis status detegebatur, nec, vnde haemorrhagia prouenerit, satis intelligebatur, vsque dum, hepate ad anteriora leuiter et cum sollicitudine reclinato, in lobo eius maiori, illaque sub diaphragmate et hypochondrio dextro recondita parte, fissura detegeretur, quae a posteriore loco oblique antrorsum ad marginem acutum vsque progrediebatur sic, vt ipsius hepatis substantia multum distaret et ad digiti transuersi latitudinem prorsus hiaret. Penetrabat autem fissura ad interiora et inferiora pene, vt magna sanguinis profusio ex tanta vasorum copia laesa prouenire debuerit. Hanc quoque ecchymosin enormem vasorum maiorum vacuitas, cordisque ipsius flacciditas confirmabant. Inter integumenta communia et musculos neque sanguis effusus inueniebatur, nec vel tantillum costae male adfectae cernebantur. Tandem nec in capite, quod a naturali secedat statu, quidquam obseruatum est.

Nunc

Nunc eos praecipue, qui medendis morbis, vehementioribusque eorum effectibus tollendis ſuam dicant operam, non parum ſollicitos reddit vera eiusmodi factae laeſionis diagnoſis, cui ſuperſtruatur conueniens medendi methodus, quam tamen, dum in foro quoque de illa exponendum eſt, neceſſariam reddit et recte dignoſcendus laeſi ſtatus et rei vel laedentis inde diiudicanda culpa. Ea enim, quae vulnerati iecinoris ſigna eſſe voluit CELSVS q) nempe *multus ſub dextra parte praecordiorum profuſus ſanguis, ad ſpinam reducta praecordia, in ventrem cubandi dulcedo, punctiones doloresque, vſque ad iugulum, iunctumque et latum ſcapularum os intenti, quibus etiam nonnunquam bilioſus vomitus accedit*, in noſtro caſu aberant omnia, vomitus niſi forte aliqui ab initio mox acceſſerint, nulli, ſola quaedam anxietas, in ſomnum procliuitas, et ſubito ex κενεαγγεία placida mors. Facilius vtique malum diſcernitur, ſi notae quaedam exteriores occurrunt, quae impreſſa violentiae externae indicia ſuppeditant, coſtarum ſcilicet depreſſio aut fractura, integumentorum ac muſculorum vulnera et dilacerationes, aut ſaltim a ſtagnantibus humoribus excitatus liuor, vomitus, deiectiones bilioſae aut ſimilia phaenomena: tunc enim, externae iniuriae ſequelas iecur quoque attigiſſe, nulla dubitandi ratio ſupereſt. Si porro his iungatur conſueta ſymptomatum caterua, quae febre ſenſim aucta, tandemque furente, inquietudine, iectigatione corporis, deliriis, cum oris ſiccitate, ſiti et dolore fixo ſtipatur; ſi deinde ab effuſo ſanguine ventris tumor enaſcitur et durities, quae fluctuantis ſubtus humoris ſigna referat, tunc luculenta veri ſtatus redditur diiudicatio. Poſſet quidem de eo dubitatio enaſci, num vera fiat fluctuatio, quod partim tam ampla ſit ventris cauea, quae magnam ſanguinis copiam recipere valeat, vt protinus non percipiatur, ſiquidem ſanguis, extra receptacula ſua miſſus, facile pronus ad coagulum, minorem ſpatii partem compleat, partim etiam, quod tanta ſanguinis quantitas ſine

 ſubita-

q) De medicina Lib. V. cap. 26. Sect. 10.

ſubitaneo periculo nequeat effundi: at, quoniam ad anteriorem ventris partem ſanguis dirigitur, parum certe, id iam egregie demonſtrante GARENGEOT [r]), in inteſtinorum gyros, praecipue viuente adhuc laeſo, penetrabit, hinc ſtudioſe perquirentem effugere fluctuationis indicia non poterunt, vti a nobis ſupra eſt adnotatum.

Interim vehementer dubitamus aut potius pernegamus, ſimilem viſceris laeſionem periculo deſtitui, immedicabile ſane malum eſt, quod docta plus valet arte. Pleraque allata exempla, mortem ſubito ſequutam fuiſſe indicant, ſi protrahitur illa, aliae ſubeſſe debent cauſſae, difficulter detegendae. Puerum quidem HIPPOCRATES refert [s]) a mulo percuſſum ventre et hepate, quarto demum die obiiſſe, verum tamen num illa mors, a vaſorum rixi et viſcerum ruptura, vt arbitratur BLANCHI [t]) num ab inflammatione demum accedente, vt cum GALENO ſentit FOESIVS [u]), adſtipulante VALLESIO, quem MORGAGNIVS citat [x]) qui a ſanguinis effuſione citiſſimam mortem futuram fuiſſe iudicat, prouenerit, adhuc lis eſſe videtur. Sed, ſi de eo, quem recenſuimus, caſu differendum eſt, in quo pariter quarto demum die mors inſecuta eſt, nulla ſane inflammationis internae veſtigia occurrebant, nullaque eius orientis ſymptomata. Num forſitan haemorrhagiae, tardius lethalis, aliqua ratio in vaſis huius viſceris quaerenda ſit, aliis diiudicandum relinquimus. Arterias, etſi non paucas, tamen non adeo magnas, praecipue in ſuperiore parte accepit hepar, quo etiam in loco venae portarum ramificationes tenuiores atque anguſtiores inueniuntur, in quibus ſanguinis progreſſum tanto, ac alibi, cum impetu non fieri compertum eſt: arterias porro ruptas minores ſe ſenſim contrahere aut thrombo obturari

r) Memoir de l'Acad. de Chirurg. l. c. p. 118.
s) Epidemic. Lib. V. Sect. VII. pag. 1151. ed. Foeſ. Francof. 1621. fol.
t) Hiſt. hepat. P. III p. 449.
u) In adnotat. ad l. c. HIPPOCRATIS p. 1152. 39.
x) Loc. cit. art. 15 p. 130.

rari ſcimus, venas parum et lente pluere. Accedit etiam, quod iſte laeſus, ex ſanguinis retardato in vena portarum progreſſu non raro haemorrhoidibus fuerit ea iam aetate vexatus, vt itaque in quieſcente homine et ſoporoſo, cui ſanguinis pars ex venis fuerat detracta, euacuatio contingens ſucceſſiua, mortis videatur retardaſſe periculum. Parum tamen cum iis facimus, qui ex abdominis punctura aut inciſione et ſanguinis per vulnus emiſſione leuamen eſſe futurum arbitrantur, quod nulla in locum adfectum redundat vtilitas. Abſceſſus ſane, lente factos, ad externas ſedes delatos, maturatos, apertos, perfecte perſanatos fuiſſe conſtat, quales autem in tanta viſceris violenta deſtructione expectare, aut cum aliqua ſpe euadendi fieri poſſint, nec hariolari quidem valemus. Totius quidem, in vnum conſpirans finem naturae labor minorum vaſorum labem, magis, ſi lente fiat, reſarcit, non organorum maiorum plenariam corruptionem.

Imitatus eſt naturam, et ad communem ſua ſtudia vt dirigat vtilitatem, anniſus eſt nunc commendandus

VIR CLARISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS

IOANNES GOTTFRIED FLEMMING,

MEDICINAE BACCALAVREVS DIGNISSIMVS

qui in addiſcendis, ad medicum vtilem pertinentibus doctrinis ea verſatus eſt cum laude, vt praemiis virtutis, ad vlteriora incitamentis, merito ſit condecorandus, id, quod ex vitae, pro more recenſendae curriculo intelligetur, quod ab ipſo nobis traditum inſerimus:

Eſt prope Sangerhuſam pagus Oberröblingen, in quo anno huius ſeculi quinquageſimo die viceſimo tertio Sept. natus ſum, patre IOANNE EHRENFRIED, moliturae architecto viro probo honeſto, matre MARIA ELISABETHA, nata HEINROTHIA. Genitore poſt quatuor circiter menſes mortuo, mater optima educationem filii vnici, ex matrimonio ſibi optatiſſimo geniti, curae, cordique habens, Arteram comitatus Mansfeldendis oppidum, in quo eius familia florebat, rediit; ſed vix

anni ſex praeterlapſi fuerunt, quum et ipſa mortalium omnium ſubiret fatum. Parentibus optimis morte praematura nunc orbatus, educatione proſpera atque felici fruitus non ſum; interim cura praeceptorum accuratiore non deſtitutus, cum HALECKERO ſcholae collegae infimo et ſacra iſtic curante, religionis chriſtianae fundamenta litterarumque primitias, BEYKERTO, Cantori, et inprimis LIPPIO artium magiſtro, tum Rectori, nunc apud Schoenfeldenſes verbi diuini miniſtro, vlteriores in litteris debeam progreſſus, didici ea, quae ad litterarum cultum ampliorem ſunt neceſſaria, Chirurgiae manualis inſtructioni fere coactus nunc traditus fui; tandem Lipſiam anno huius ſeculi ſexageſimo nono adii, vbi commorans, vitae tempus peractum penſitans, et viri venerandi DE BRAVN eccleſiae arterenſis Archidiaconi, maxime religioſi, monita, ad ſequendum ſtudiorum tramitem, olim ab eo accepta, in memoriam reuocans, artis aſclepiadeae ſtudio me dedi. Studio linguarum repetito anno ſubſequente die Maii viceſimo ſecundo ab ILL. D. BELIO, Conſiliario aulico, faſces academiae tum gerente, in ciuium numerum receptus ſum. Philoſophiae doctrinas ab Ampl GARVIO vero philoſopho; logices practicae praecepta ab Ampl. ZEVNIO; inſtitutiones matheſeos et purae et applicatae, ab Excell. BORZIO; phyſices et theoreticae et experimentalis partim a b. HAVBOLDO, partim ab Exper. LVDWIGIO accepi; quibus pro eo, quem inde percepi, doctrinarum fructu, maximas refero gratias. Praeclariſſ. WENKIVM in tradenda hiſtoria vniuerſali; S. R. ERNESTIVM Ciceronis de officiis libros explicantem; Ampl. CLODIVM Plinii et Ciceronis epiſtolas, orationes et Saluſtii hiſtoriam belli catilinarii dilucidantem ſecutus ſum. In hiſtoria philoſophiae et reformationis S. R. BVRSCHERVM audiui. Illis igitur ſcientiis, quae ad addiſcendum altiusque excolendum medicinae ſtudium pertinent, praemiſſis, ſcholas doctorum noſtrorum illuſtres adii: Magnif. b. LVDWIGII, inſtitutiones botanicas, et theoriam de febribus inculcantis, auditor fui. Magnif. PLAZIVM morborum inflammatoriorum venereorumque curam et medicinam forenſem docentem, arteque diſputatoria me exercentem beneuolum habui praeceptorem. Excell. POHLII, Senioris facultatis grauiſſimi, lectionibus anatomicis et pathologicis interfui, qui quoque copiam cadauerum ſecandorum mihi fecit. Excell. BOSIVS, praeceptor optimus atque fautor, ob eam, qua ſemper erga me vſus eſt benignitatem et beniſicentiam nunquam ſatis memorandus anatomes et phyſiologiae elementa, nec non medicinam forenſem me docuit; copiam aegrorum in noſocomio viſendorum mihi fecit, atque in

collegio

collegio examinatorio disputatorio optime me exercuit, Excell. KRAVSIVM, fautorem, ob eximia beneuolentiae documenta, omni pietatis cultu prosequendum, in pathologia, therapia generali eaque speciali, vt et in chirurgia praeceptorem habuisse optimum, laetus commemoro; cuius quoque scholis osteologicis et praelectionibus de inflammatione, de morbis oculorum, et infantum optimo cum fructu vsus sum. Excell. GEHLERVS artis obstetriciae praecepta perspicue mihi tradidit. In Exp. HAASII scholis anatomico-physiologicis atque demonstrationibus anatomicis non parum profeci. A. b. REICHELIO artem fascias chirurgicas applicandi didici. Exp. RIDIGERVM in tradendis diaetae praeceptis et proponendis chymiae purae dogmatibus, audiui. Exp. POHLIVM jun. non solum elementa botanices proponentem, sed etiam excursiones in agros facientem secutus sum: eiusque erga me benignitatis specimina grata mente agnosco. Exp. PLATNERI praelectiones physiologicas, de materia medica, atque de sede animae frequentaui. Exp. BOERNERVS methodum morbis venereis medendi mihi proposuit. Exp. denique LEONHARDI jun. multa debeo, non solum ob doctrinarum cultum, vt pote cuius praelectiones in materiam medicam, pharmaciam, artem formulas praescribendi et chymiam theoretico experimentalem, nec non exercitia examinatorio-disputatoria, per quam vtiles mihi fuerunt; sed etiam ob singularem, qua me semper amplexus est, benignitatem. Baccalaureatus immunitatibus Ordinis gratiosi consensu, anno huius seculi septuagesimo tertio mense Iun. impetratis, mense Oct. lectiones pro licentia, summos in arte medica petendi honores, de *Sanguinis origine* et *fonte* recitaui. Anno vero nuper elapso mense April. examen practicum sustinui; quo peracto Licentiam cathedram medicam ascendendi a Gratioso Ordine obtinui.

Chirurgiae et artis obstetriciae manualem acquirendi caussa Argentinam iter suscepi; ibique Ill. SPIELMANNVM, chemiae dogmata experimentis illustrata tradentem audiui. Exper. LOBSTEINIVM vero, corporis humani fabricam e denatorum corporibus demonstrantem, secutus, silentio praeterire non possum dexteritatem illius in reuelandis fabricae subtilioris partibus atque in instituendis operationibus chirurgicis, in quibus cum eum sequerer, humanitatis quoque eximiae erga me percepi testimonia, quippe cum manu mea, vel minus recte agente vel aliquando vacillante, melius vti me docuerit. Excel. ROEDERERO autem plures ob rationes referre me oportet gratias. Elementorum enim artis obstetriciae, quam profitebatur, manuali operatione probandorum, cum in do-

mo

mo obſtetricia, tum in vrbe nec non extra vrbem, mihi fecit copiam; morbis grauidarum et puerperarum medendi methodum quotidie videndi mihi praebuit occaſionem. Denique ſingularis beneuolentiae immo amicitiae eximia mihi dedit ſpecimina. Exper. EHRMANNVS aegros in noſodochio ciuili viſendi exhibuit mihi licentiam. Praecl. le *Riſch* morbos chirurgicos in noſodochio militari curantem quoque ſecutus ſum.

Lipſiam redii ſummos in medicina capeſſendi honores cauſſa, quo dein, in patriam redux, deliciis, quas vita academica mihi comparauit, ciuium ſanitatis curam gerendo, quantum Deus T. O. M. cui omnia deberi quiuis mortalinm fateri oportet, vires largitur, vti fruique poſſim.

Hos etiam honores, conſuetis exhibitis ſpeciminibus, vtique laudabilibus, mereri Cl. Candidatum, confitemur, quare illi cathedram adſcendendi copiam fecimus. Dictus eſt huic ſolennitati dies futurus Veneris, ſecundus Menſis Auguſti, quo publice a ſe conſcriptam diſſertationem, *de Atonia Vteri*, moderante amiciſſimo collega, D. KRAVSIO defendet. Quibus, rite peractis, pro ea, quae mihi clementiſſime demandata eſt, Procancellarii dignitate ſummos in medicina honores adſumendi Licentiam lubente largiar animo, praemiſſo *de obeſitatis moleſtiis tollendis* ſermone.

Quam quidem panegyrin, ſi VESTRA RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQVE REIPVBLICAE GRAVISSIMI, praeſentia, quam obſequenter exoramus, ornare non detrectemini, et Veſtra COMMILITONES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMIQVE, frequentia exoptatiſſima ſuſtentare placeat, quos obſtrictos tenetis, gratiſſima nos mente habebitis deuinctiſſimos. Id, quod mei Ordinis, meo et candidati nomine enixe precor. P. P. Dominica poſt Feſtum Trinitatis VIII. A. O. R. MDCCLXXVI.

LIPSIAE
EX OFFICINA IACOBAEERIA.